



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An, & quomodo licitum sit, reprobare testes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

dum quid inhabilibus, quorum depositiones subinde admittuntur.

§. II.

De depositione testium, qui producti sunt, ad probandam exceptionem dilatoriam, vel peremptoriam super causa principali.

Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam tantum, quam Reus contra Actorem proponit, non possunt cogi, nec admitti debent, ad testimonium ferendum super causa principali, cum tantum juraverint, veritatem se dicturos super exceptione dilatoria. *c. De testibus 29. h. t.* & eorum depositio magis tendat, ad impediendum ceptum negotium, quam ad prosequendum. Si vero producti sint super exceptione peremptoria probanda, tunc presente adversario, ut etiam super causa principali deponant, jurare debent, & cogi possunt, ut jurent, super toto negotio se veritatem dicturos, quia simul procedi potest super exceptione peremptoria, & super causa principali.

§. III.

An, & quando exceptio opposita contra testes impediatur eorum restitutionem, vel non?

Ordinariè non impedit receptionem & examinationem testium, si à Reo contra testes adversum se productos excipiantur, sed questio de illorum inhabilitate in finem litis reservari potest, (fortassis in progressu apparebit, nihil horum depositionibus opus esse ad sententiam ferendam, & consequenter frustra de eorum inhabilitate litigaretur)

nisi testi objiceretur notorius defectus, sive crimen publicum, & manifestum, vel tale, quod in continenti statim probari potest (talis enim exceptio impedit talis testis receptionem, & examinationem; neque in finem reservari debet, uti patet ex *c. Ex parte 7. h. t.* vel contra quem opponitur exceptio, pugnet etiam præsumptio juris, aut opponatur, quod sit capitalis inimicus ejus, contra quem producit; quod sit excommunicatus vitandus, quod sit periculum, ne postea non possit examinari, &c. multi tamen docent, quod sit in arbitrio Iudicis, utrum velit exceptiones contra personas testium reservare in finem litis.

§. IV.

An, & quomodo licitum sit, reprobare testes?

Quid liceat testes probatorios super causa principali productos reprobare, & horum reprobatos iterum reprobare, non autem reprobatos hos reprobatos ex *c. Licet Dilectus 49. h. t.* patet. Ne partibus litigantibus, ut ait Pontifex, detur occasio, negotium & litem diutius protrahendi. Et quamvis hoc capitulum tantum loquatur de personis testium, quod taliter reprobari possint, intelligi tamen etiam debet de reprobandis dictis, sive depositionibus testium, cum sit par ratio: neque impedit etiam, quominus testes reprobatos ulterius reprobari possint per instrumenta, quia solum prohibetur, tertium fieri reprobatio per testes, quo in casu magis periclitatur causa de inutili prolongatione, quam impeditam vult *cit. c.* Modus autem servandus in reprobatione testium

um probatoriorum, & reprobatoriorum potissimum consistit in eo, quod delicta sive defectus, qui testibus obijciuntur, specificè exprimantur, & probentur, & juramentum præster opponens, quod non malitiosè procedat. *Præsentium 2. §. Testes h. r. in 6. ad omnem præsumptionem elidendam, quæ in altera præsertim reprobatione intervenire possit. Et quamvis ipse producent non*

possit testes à se productos reprobare, nisi inimicitia graves inter producentem & testes intervenissent, vel alia nova causa emerferit, potest tamen eorum testimonia reprobare, si videat pro suo partius adversario deponere eos, aut in diis suis non convenire; cum producenti has personas in testes, pro testibus quidem approbaverit, non tamen eorum dicta, quæ cum adhuc nescit,

T I T U L U S XXI. DE TESTIBUS COGENDIS VEL NON

§. I.

Quando, & in quibus causis, ac quomodo testes compelli possint ad ferendum testimonium.

Possunt ordinariè de utroque jure, si rogati, vel vocati testimonium ferre nolint, sine rationabili causa excusante, compelli à iudice, & cogi sub interminatione etiam censuræ, aut multæ pecuniariæ in causis pecuniariis, seu civilibus, ad testimonium perhibendum, ob publicam scilicet necessitatem, & utilitatem. Uti habetur in *L. si quando 19. §. Authen. sequente. Cod. de testibus §. c. Causam 1. c. Cum super 2. §. Caterum 6. h. r.* (ob præsumptionem mali doli, nisi aliâ præsumptione hæc ipsa elidatur) nisi specialiter ab hac coactione excepti essent, non quidem ob juramentum, quod fortassis de non testificando contra aliquem illicitè fecerant, sed ob alias causas, uti paulò post dicitur.

§. II.

An, & quando testes cogi possint ad ferendum testimonium in causis criminalibus?

Spectato jure Canonico nec Laicis coguntur ordinariè ad testimonium ferendum in causis criminalibus, quæ directe agitur ad vindictam publicam (quamvis multi teneant contrarium prout probari posse videtur ex *c. Dilectorum 10. h. r. junctâ Glossi. V. Super criminibus*, ob periculum scilicet gravium odiorum, & peccatorum ex tali testimonio timendorum, ac incurrendæ irregularitatis; quæ ratio multò magis prohibet quod de criminibus occultis, ut testimonium ferat, nemo cogi possit, de quo in iudiciis nulla publica suspicio est, nisi infamia præcessit, nisi crimen esset valde periculosum, & perniciosum etiam futurum; aut veritas aliter sciri non posset, cum præiudicio Reipublicæ, *c. Pervenit §. h. r.* aut malitiosè se subtrahat